



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

242. An emens victualia pro filio Clerico, vel Capellano suæ familiæ teneatur soluere gabellas? Et additur, quod in tali casu Patres possunt donationem facere filiis de tota illa summa, quam ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

galis confluere possint Clerici, respondent Rodriguez, & Henriquez, *vbi supra* affirmatiuè; quibus etiam adde Ledesma *in summ. tom. 2. tract. 7. cap. 2. concl. 27.* Sed hoc difficultate non caret. Vide *suprà* *concl. 44.*

Quæ hic est  
iust. Ref. 143  
Sed magis  
ad rem in  
Ref. 244.

## RESOL. CCXLI.

*An tributum sit iniustum, eo quod indirectè grauentur Clerici, v. g. super carnibus, pane, vino, oleo, &c.?*  
Ex part. 4. tract. 4. & Misc. Ref. 174.

Sup. hoc in  
Ref. præteri-  
ta, & inf. in  
Ref. 244.

§. 1. **N**egatiuè respondet Sanchez *in opusc. tom. 1. lib. 2. c. 4. dub. 55. n. 40.* vbi sic ait. Impositionem factam secularibus arietes vendentibus in macello, quod vocant *Buſto*, quod scilicet singulorum arietum pretio duos soluunt argenteos, non esse illicitam; licet inde resultet quoddam Ecclesiasticis carius emant. Probatur, quia non est iniustum tributum, eo quod indirectè grauentur Clerici, nam ex alcauala: & vectigalibus, i. *pasajes*, quæ mercatores ex mercibus solunt, quas, ab vno loco in alium transfuehant, & vendunt, sequitur, quod Clericis carius stent merces illæ, & non ob id sunt iniusta vectigalia illa. Insuper hanc sententiam tenet aliqui Doctores qui proponunt hunc casum, an possit imponi tributum super carnibus, vino, &c. indistinctè sine exceptione Ecclesiasticorum & obiciunt videri non esse licitum, quia inde indirectè grauantur Clerici, cum hæc carius emant, & posita hac obiectione, respondent, quod si faciunt animo iniuriandi Clericis, & extorquendi pecunias, quas alio modo extorqueri nequeunt, est illicitum; si verò non hoc animo, quia licet non essent Clerici, adhuc imponerent, nec imponunt magis super his, quæ sæpius emuntur à Clericis, est licitum; nec possunt conueniri Clerici. Sic respondent Syluester *verb. immunitas 1. quæst. 6. in fine.* Lopez *part. 1. instr. cap. 190.* Astensis *lib. 6. summ. tit. 30.* Angelus *ver. immunitas, num. 42.* Et in hoc casu constat non malo animo iniuriandi Clero impositum esse tributum, quia licet non essent Clerici, impositissent, & non magis imposuerunt in his quæ sæpius emuntur à Clericis, & sic tenuerunt docti recentiores Magistri. Ita Sanchez.

Sup. hoc in  
Ref. 1. nor.  
præterita §.  
1. post me-  
dium, & su-  
p. in Ref.  
214. §. Dicere  
autem.

2. Sed hæc doctrina stante Bulla Cœnæ ibi directè, vel indirectè mihi non placet, & Doctores quos pro sua firmata sententia adducit Sanchez, ego reprobauim in 1. part. tract. 2. resolut. 82.

Quæ hic est  
Ref. antecede-  
dens.

## RESOL. CCXLII.

*An emens victualia pro filio Clerico, vel Capellano sue familia, teneatur soluere gabellas?*  
Et additur, quod in tali casu Patres possunt donationem facere filiis de tota illa summa, quam expensuri sunt pro illis, & postea eorum nomine illam expendere in eorum seruitium. Ex part. 4. tract. 4. & Misc. Ref. 175.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Thom. Sanchez *in opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 4. dub. 54. num. 2.* quia dominium eorum, quæ consumuntur, non est Clerici, sed patris, vel domini secularis; sicut Clericus, qui sustentat plures famulos seculares, non tenetur soluere gabellam pro parte quam famuli consumunt, sic docti recentiores. Ita Sanchez.

2. Sed contrariam sententiam profus tenendam esse puto; & ita communiter obseruatur, & præsertim in nostro Regno Sicilia, vbi supradicti sunt im-

munes à gabellis pro victualis emptis in sustentationem Clericorum, quia Clericus est ab omni exactione immunis pro ea parte, quam ipse consumit, nec valet dicere cum Sanchez, quod dominium eorum, quæ consumuntur, non est Clerici, nam respondeo quod sufficit, quod illa victualia emanant pro Clericis, eaque ipsi consumunt, & ita sentiunt plures Magistri Societatis Iesu & aliarum Religionum de hoc casu à me consulti. Adde quod in tali casu patres possunt donationem facere filiis de tota illa summa quam expensuri sunt pro illis, & postea eorum nomine illam in eorum seruitium expendere, & sic cessaret ratio Sanchez.

## RESOL. CCXLIII.

*An licite Senatus Panormitanus, & alia Respublica exigant gabellas ab Ecclesiasticis cum animo restituendis eas in fine anni?* Ex part. 1. tract. 2. Ref. 45. aliàs 44.

§. 1. **A**D hanc questionem negatiuè respondent viri docti, Duardus *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 18. g. 15. n. 3.* & Alerius *de cens. tom. 1. disp. 19. lib. 5. cap. 3. fol. mibi 734.* vbi sic asserit: [Notandum est, non excusari ab hac censura, qui exigunt, vel mandant exigi huiusmodi gabellas à Clericis, animo restituendi in fine anni; quamuis profiteantur hunc modum seruare, causa euitandi fraudes publicanorum exigentium gabellas. Et ratio est: quia cogunt antea ad soluendum; & hoc est magnum onus, & incommodum Clericis.] Ita Alerius. Quocirca addit Duardus: [Qui supradicto animo hæc onera à Clericis exigunt, si volunt effugere huiusmodi vinculum, in fine anni curent ipsi Clericis restituere aliquid plus, supra id, quod exegerunt in recompensationem dicti incommodi, & interesse.]

2. At, his non obstantibus, puto sine vilo scrupulo nostram Ciuitatem hanc consuetudinem obseruare; nempe in fine anni pro victualibus soluere Clericis, vt vulgè dicitur, *lo scasciato*: quia totum hoc factum fuit, & efficitur ex concordatis factis cum Episcopis consentientibus, & volentibus ipsis Clericis; non autem renuntiantibus priuilegio, sed sustentibus eius effectum; differri in tempus, quod proximè sit magis opportunum sine vilo onere, & interesse.

## RESOL. CCXLIII.

*An si Princeps, vel aliqua Respublica propter aliquam iustam causam auerit tantillum pretium carnis vini, olei, &c. vt illud plus conuertatur in illam causam, non quidem in grauamen Clericorum faciens principaliter, sed generaliter in grauamen omnium, incurret in excommunicationem Bulla, si talem gabellam à Clericis exigant, vel in tali casu an aperienda sit alia taberna in quam sine tributo confluere possint Clerici ad emendum vinum, oleum, &c. iusto pretio?* Ex part. 1. tract. 2. Resol. 46. aliàs 45.

§. 1. **N**egatiuè respondendum videtur ex Angelo *Sup. hoc in eodem verb. 1. quæst. 6. num. 22.* quem sequitur Coriolanus *in Bulla Cœnæ, excommunicat. 18. fol. mibi 949.* Lopez *in instr. p. 2. cap. 40. fol. mibi 127.* & facit Henriquez *lib. 5. cap. 15. numero 5.* quem postea sequutus est Maldetus *in 2. 2. tractat. 5. cap. 6. dub. 11. in fin.* vbi sic ait: [Est licita contributio à laicis imposita, quando in valde modico grauatur Clerum,

Sup. hoc in  
Ref. in Ref.  
240. & 241